



contat. 2. ff. 4. ggl.

Samuelhof u

1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22  
23  
24



45

56

כנה  
DISSERTATIO PHILOLOGICA  
DE

ושיקה ד לפה  
h. e.

OSCULO MANUS ORI  
DATO,

*Occasione Jobi XXXI, 27.*

QVAM

IN ALMA PHILYREA  
CONSENSU INCLYTI SAPIENTUM  
ORDINIS  
*PUBLICÆ ERUDITORUM DISQVISIONI SUBJICIENT.*  
PRÆSES  
M. GERHARDUS HERMANNUS  
MENCKE,  
OLDENBURGENSIS,

ET

RESPONDENS  
JOHANNES HENRICUS Herbst/

Ottervifchenf. Mifn.


*ad d. XIX. Sept. A. R. S. MDCCXI.*

---

L I P S I Æ,  
L I T E R I S B R A N D E N B U R G E R I A N I S.

UNIVERSITÄT  
DE  
SACHSEN-ANHALT  
BIBLIOTHEK





בְּנֵי  
DE נְשִׁיקַת יַד לְפִי  
h. e.

OSCULO MANUS ORI DATO  
DISSERTATIO PHILOLOGICA.

CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

- §. I. *Varia osculorum genera enumerantur.*  
§. II. *Osculum idololatricum occasione Jobi XXXI, 27. recensetur.*  
§. III. *Varia hujus oraculi versiones in medium proferuntur.*  
§. IV. *De emphasi verbi נשק disquiritur.*  
§. V. *Sensus particula ל in voce לפי evolvitur.*  
§. VI. *Sententia illorum, qui tropice hanc phrasin explicant, refutatur.*  
§. VII. *Aliene aliorum interpretationes rejiciuntur.*  
§. VIII. *B. Seb. Schmidii expositio refellitur.*  
§. IX. *Nostrea sententia adducitur, & ex antiquitate demonstratur.*

A 2

S. X.

§. X. Argumentum primum a *עוואפיעא* textus desumptum affertur.

§. XI. Argumentum secundum a nativa verborum significatione producitur.

§. XII. Consensus Symmachi in medium profertur.

§. XIII. Objectiones dissentientium diluuntur.

§. XIV. Locus Pf. II, 12. explicatur.

§. XV. Origo verbi Latini, *adorare*, investigatur.

§. I.

Varia osculorum genera enumerantur.



Uti abstrusos antiquitatum Hebraicarum recessus peruestigare, in earumque contemplatione animum exercere aggredditur, inter alia ardua non minus, quam jucunda veterum monumenta, summum in annotandis variis osculorum generibus studium in admirandis ponet. Nunc enim *נשיקה של גרולה* osculi magnificentiae, occasione 1. Sam. X, 1. nunc *נשיקה של פרקים* osculi compitorum, sive occurfus, occasione Exod. IV, 27. nunc *נשיקה של פרישות* osculi separationis, vel discessus, occasione Ruth. I, 14. nunc *נשיקה של קריבות* osculi propinquorum, occasione Gen. XXIX, 11. mentionem injiciunt. Equidem DRUSIUS osculum precationum addit, quam vero sententiam, Hebraeorum testimonio destitutam, & sinistra tantum verborum interpretationi innixam, cum BUXTORFIO, in *Lexico Talmudico*, p. 1405. merito repudiamus. Cum itaque osculum superioribus seculis, tum apud nationes alias, tum apud Hebraeos admodum fuerit in usu, asperrima Nomadum rusticitas culpata fuit, qui ne quidem filios suos osculabantur, & quorum Reges nulli mortalium oscula ferebant, ut docet DANIEL FESSELIUS

US

US in adversariis sacris, l. 3. c. 7. p. 268. Nec desunt, qui ductu Sacrarum Literarum alia, præter jam commemorata, osculorum genera consignant. Proferunt enim in medium osculum mysticum; Cant. 1. 2, osculum reconciliationis, Gen. XXXIII. 4. 2 Sam. XIV. 33. osculum impudentiæ, & libidinis, Prov. VII. 13: osculum adulatorium, 2 Sam. XV. 5 osculum simulatorium, 2. Sam. XX. 9. osculum proditorium, Matth. XXVI. 48. 49.; ut de modo oscula figendi diverso, [ de quo conf. FESSELIUS l. c. ] nihil in præsentî addam. Ex quibus, amplissimam differendi segetem nobilissimum hocce argumentum nobis suppeditare, elucelcit, quod tantum abest, ut brevi aliqua absolvi queat dissertatione, ut integrum potius tractatum requirere videatur.

§. II.

Misis igitur omnibus his osculorum generibus, de osculo *Osculum idololatri-* idololatrico in præsentî copiosus dispiciemus, quo olim adorantes protensa manu idola tangere, atque deinde manum ad osculum reducere solebant. Ansam in hanc inquirendi materiam suppeditavit nobis veræ pietatis cultor, JOB US, qui c. *hujus [dis-* XXXI. vitæ integritatem, atque innocentiam adversus acer- *sertationis,* bisimos hostes vindicaturus, v. 27. vel minimam quoque idolo- *recensetur.* latriæ speciem a se amovere studet, hinc inter alia, quibus vitæ puritatem defendit; argumenta, & hoc refert: **וְאֵינִי מְשַׁלְּטָן עַל-עֵצִים** si osculata est manus mea ad os meum. Et hæc ipsa verba sunt, ad quorum penitiorem considerationem nos sine omni ulteriori verborum apparatu B. C. D. accingimus.

§. III.

Difficiliorem hujus oraculi sensum varia Interpretum *Varie ver-* translatio reddidit. Proxime tamen ad sensum linguæ authentice *ones pro-* accedunt *Targum Jonathani:* וְאֵינִי מְשַׁלְּטָן עַל-עֵצִים *versio seruntur.* *Syriaca:* **ܘܐܝܢܝ ܡܫܠܬܢܐ ܥܠ ܥܝܘܬܝܢ** *versio Arabica:* **وَأَنَا لَا أَسَلِّطُ عَلَى الشَّجَرِ** LXX. Interpretes hac versione genuinum se affleutos fuisse sensum crediderunt: *Ei δὲ χεῖρά μου ἐπιθεῖς ἐν τῷ 50- ματί μου φίλησα.* SYMMACHVS autem vertit: *Καὶ ἐπεσκέψατον*

*וְחֵפֶז מִן פִּי מִי יָדָהּ מִן הַיָּד מִן הַפִּי מִן הַיָּד מִן הַפִּי*. Gallica versio apud MARTIN in  
*Bibliis Gall.* ad b. l. hæc est: *Si ma main a baisé ma bouche.* Anglus  
 interpretes translationem suam: *Or my mouth hath kissed my hand, in*  
*hand hath kissed my mouth.* Discrepant quoque versiones Lati-  
 næ: *Vulgata*, quam etiam sequitur MARTINIUS in *Lexico*  
*Philologico*, T. 2. p. 142. transtulit: *Et osculatus sum manum meam*  
*ore meo.* Sed alia ratione vertenda hæc verba exillimavit KIP-  
 PINGIUS in *antiquitatibus Romanis*, l. i. c. 9. §. 5. *Et osculatus sum manu*  
*meam os meum.* COCCÉJUS in *Lexico*, p. 272. reddidit: *Et osculum*  
*tulit ori meo manus mea.* Prorsus diverfam ab his translationibus  
 interpretandi rationem secuti sunt JUNIUS atque TRE-  
 MELLIUS, qui nescio quam ellipsin in commate nostro fin-  
 gentes, verba Hebraica hac interpretatione illustrare conati  
 sunt: *Et osculatum est os meum, & manus mea.* Nec meliorem  
 meretur censuram versio, quam in margine adjecerunt: *Oscu-*  
*lata est manus mea cum ore meo.* In hoc sententiarum divortio, quæ-  
 nam reliquis anteferenda sit expositio, difficile videri poterat  
 judicatu; Nobis tamen, fontes accuratius inspicientibus, ea  
 maxime, quam sub finem §. II. dedimus, expositio arridet:  
*Si osculata est manus mea ad os meum.*

§. IV.

*De empha-  
 si verbi  
 קָשַׁן dis-  
 quiritur.*

Priusquam autem ad ipsam rei arcem perveniamus, de  
 verbo קָשַׁן, quod omnem ferme in hoc argumento paginam  
 facit, quædam prælibanda sunt. Quod generaliorem hujus  
 verbi significatum concernit, non abludivimus à FORSTERI in  
*ditionario Hebræo*, p. 528. 529. sententia, qua aliqualem hujus ver-  
 bi cum cognatis convenientiam indigitare allaborat. Nec om-  
 ninò infeliciter iste labor ei successit, nullam enim, nisi quæ cir-  
 ca specialiore significatione modum occupetur, in verbis קָשַׁן,  
 קָשַׁן, קָשַׁן, & קָשַׁן deprehendere licet differentiam. Si itaq;  
 nostrum qualecunque super hac referendum fuerit iudicium, mi-  
 nime eum aberrare a vero dicemus, qui קָשַׁן generatim de  
 occurfione, vel amoris causa, more osculancium, qui oscula-  
 turi mutuo invicem ore occurrunt, vel ex ira, more militum,  
 qui



qui, dum arma tractant, mutuo sibi occurrere contueverunt, interpretari velit, quin potius suffragio nostro veram, atque genuinam ejus expositionem esse, pronunciamus. Ad adorationem etiam hoc verbum non solum a *LXX. interpretibus*, verum etiam ab *HIERONYMO* referri, testatur *PINEDA in b. l.* Ex his in medium prolatis, constat, duplici hoc verbum gaudere significato; primo enim osculandi notionem involvit; deinceps ad instrumenta quoque armorum referri solet. Prior hujus verbi acceptio in *Sacro Codice* frequentissima est, quæ & nostro in oraculo obtinet; posterior rariuscule occurrit, sigillatim in participio *Benoni*, *1 Paral. XII. 2. Ps. LXXVIII. 9.* unde & suam traxit originem vox *פָּשָׁן* armatura, quæ *1 Reg. X. 25.* legitur. Ne vero ulla hac ratione in *Sacris Literis* metuenda sit vel confusio, vel sensus literalis ambiguitas, distinctissime a *Spiritu Sapientia* hæc collocata esse videmus. Nullibi enim in *Divinis Pandectis* verbum *פָּשָׁן* bellicorum instrumentorum significatum induet, nisi cum ejusmodi conjungatur nominibus, quæ sensum istum imperare quodammodo videntur. Fidem dictis facient loca supra allegata, ubi cum *תָּשָׁן* verbum istud combinatur, ut adeo summam *Spiritus Sancti* in oraculis suis *in eis* perspicere, & manibus palpate liceat. Hinc facile nos suas in partes trahit *PISCATOR*, apud *POLUM in Symphi Criticorum, vol. 2. p. 319.* qui *פָּשָׁן* in genere significare applicari existimat, unde arma vocentur *פָּשָׁן* applicatio, eo quod applicentur corpori, sive ejus, qui illis induitur, sive ejus, qui illis feritur. Quamvis autem hæc sententia non omni specie destituitur, nemini tamen eandem obrudemus, quin potius liberum cuilibet de hoc argumento sentiendi arbitrium relinquemus.

S. V.

De voce *ר* nulla suborta est difficultas. Quod *Particula* vero vocem *ר* attinet, varie particula *ר* ab interpretibus *explicata* accipi solet. *LXX. interpretes* per *in* designarunt; *Symmachus* *in* autem per *in* expressit, Et sanè innumeras ferme hæc particula sustinere solet significationes: A Grammaticis enim atque vocum diribitoribus, per *ad, in, pro, contra, a, ex, de, post*, ut alias vertendi rationes silentio jam præteream, exprimitur. Quando

doquidem vero multiplex vocum significatio infelix plerarumque confusionum, atque hæresium parens est, eorum mihi maxime probanda industria videtur, qui in id operam studiumque suum collocant, ut una, simplicique significatione vocis emphasin designent, ad eamque reliquas denominandi rationes reducant. Idem circa particulam ׀, quam a præpositione ׀ oriundam esse, nonnulli, nec sine ratione, existimant, summam exigere necessitatem, res ipsa loquitur. Hinc eleganter omnino *Magnificus* DN. D. VALENTINUS ERNESTUS LOESCHERUS, in *causis lingue Ebraeæ* p. 424. simplici hanc particulam significatione contentam esse, ostendit. Indicat enim relationem unius ad aliud in agendo, respectum rei ad alteram, quæ versus eam agit, directionem rei versus aliam. Pater igitur, & h. l. diversas primo intuitu interpretationes generaliori hac expositione facile conciliari posse. Nec temere contemnenda, vel rejicienda est specialior PISCATORIS I. c. circa hanc particulam observatio, ׀ in sermone de osculatione regulariter præponi rei, quam quis osculatur, ut; 2 *Sam.* XV. 5. 1 *Reg.* XIX. 18. *Prov.* VII. 13.

S. VI.

Sed relicta ulteriori, cui huc dum satis immorati fuimus, verborum evolutione, ad ipsam phraeos propositæ expositionem propius nos accingemus, ubi post aliorum recensitas, breviterque, ac modeste confutatas opiniones, nostram qualemcunque sententiam subjiciemus, eandemque idoneis, quantum pro ingenii modulo fieri poterit, argumentis, corroborare studebimus. Primum itaque locum illorum sententia occupet, qui tropice hanc phrasin explicandam esse, sibi persuadent, ut manus pro ejus effectu, h. e. operibus, vel operationibus æternis, metonymice; osculari vero metaphoricè, pro admirari, magnificere, sumatur; quasi dictum hoc sit de sanctulis hypocritis, qui sua ipsorum opera unice admirantur, exolculantur, iisque omnem suam felicitatis terrene, tum etiam beatiitudinis æternæ causam assignant, quo pacto Jobus verum Deum abnegari, & manifestam committi idololatriam testatur; prouti hanc sententiam enarrat GLASSIUS

*Sententia  
illorum qui  
tropice ex-  
plicant, re-  
sensetur.*

in *Philologia Sacra*, p. 1245. Favere huic sententiæ videtur ipse Megalander noster, B. LUTHERUS, quod glossa ejus marginalis in h. l. daß meine Hand meinen Mund küsse / oder meine eigene Werke preisset / welches Gott allem zugehöret / testari potest. Non longe ab hac interpretatione recedere videtur LUCAS OSIANDER, hac paraphrasi oraculum nostrum illustrans: *Nim̄ eo dementia perveni, ut in oculis cordis mei recessibus meam felicitatem acceptam ferrem sanctitati & industrie mee, quod hypocrita facere solent, id enim est, manum suam osculari.* Sic & PELLICANUS h. l. ita interpretatur: *Osculari manum, est opus proprium commendare, celebrare & de eo gloriari, quæ est natura hypocritarum, a Deo datum bonum sibi adscribere, quod est, nomen, & gloriam Dei blasphemare.* Eidem subscribunt sententiæ FLACIUS in *clavi Scripturae* p. 806. CORDERUS in *Jobo elucio dato*, p. 578. 579. LUDOVICUS DE AYLLON & QUADROS in *elucubrationibus Biblicis*, ad h. l. p. 351. Verum dissentire hic nobis, ob fonticas causas, liceat. & *refutatur.* Primo enim a sensu literali sine urgente necessitate non est recedendum, quæ, cum circa hunc locum nondum fuerit demonstrata, in clarissima litera nostrum summo jure quærimus præsidium. Deinceps nimis dura atque incommoda hæc mihi expositio videtur, quoniam duplex in unica phrasi tropus, metaphora scilicet, atque metonymia afferitur, quod in Sacris Literis inconsumetum esse, in aprico est.

## §. VII.

Non reticenda hic est singularis hujus loci expositio, quam TOSSANUS nobis suppeditat in *annor. Bibl. Germ. ad h. l. Tossani* cui verba Germanica: *Daß meine Hand meinen Mund küsse* / ita illustrare visum fuit: *Daß ich ihn nicht hätte mit Kleidung und Decke versehen* / quam tamen in novissima editione, aliis insuper annotationibus aucta, & Francofurti ad Moenum, anno 1693. edita, mutata reperit. Et sane, ne minima quidem probabilitatis specie hæc ipsa sententia se commendat, & præterea *liena*. totitextus coherentiæ repugnat, ut adeo omni ulteriori refutatione superfedere hac vice queamus. Nimis quoque a *explicatio* scopo textus aberraverit, si quis cum CRAMERO in *annor. nimis con-*

B

*Bibl. toria.*

*Calvini  
sententia  
refutatur*

*Bibl.* verba nostra ita explicare voluerit: *dosi* sich. *H*ob seiner *Seinde* Unfall nicht erfreuet. Nec CALVINI nobis comprobatur sententia, qui verum, atque genuinum hujus loci sensum se assecutum credidit, dum in ea est sententia, Jobum h. l. innuere voluisse, *se nulla superbia, & arrogantia laborasse, ut solem & lunam aspiciens, pens. se cogitarit: Qualis & quantus sum? quis me major? quis me sublimior? quibus ineptis cogitationibus superbiorum mentes adimpleta esse solent, ut adeo omnem arrogantiae suspicionem amovere a se Jobus voluerit. Sed quam procul hic recedat a litera CALVINUS, vanisque, & longè petitis se torqueat expositionibus, seopo Sacri Scriptoris e diametro repugnantibus, vel luscus videat. Idem igitur, quod circa antecedentem explicationem, & hic nos movet dubium, & diffusum imperat: Literalem scilicet sensum, nisi summa, & inevitabilis aliud tuadeat necessitas, nunquam esse deserendum, Quænam autem quælo subesfet h. l. necessitas, ut a simplici, ac literali sensu, ad nescio quem tropicum, & figuratum, confugiendum esse existimemus? Sane contorta illa, nimisque longè petita expositio, genuinum illum, atque à Spiritu Sancto intentum hujus loci sensum non esse, satis, superque indicat. Hinc non est, cur istis assensum præbeamus Autoribus, quibus allegorica interpretandi ratio perplacet, planum enim atque literalem investigare sensum convenientius esse ducimus.*

§. VIII.

*B. Seb.  
Schmidii  
sententia.*

Parum absuit, quin nostram faceremus B. SEBASTIANI SCHMIDII in commentario, ad h. l. p. 197. sententiam, quam etiam amplectitur D. JOHANNES OLEARIUS in annot. Germ. ad h. l. nec non DN. M. STARCKIUS in Ebraicis Etymologicis, p. 172. 173. quam satis videri speciosam, lubens agnosco. Hanc enim Jobi sententiam esse tradit: *Nunquam se, sive corde, sive manus suas, autum induisse ori suo, ut assentaretur soli splendenti, & luna lucenti, h. e. is, qui in splendore crescebat, & versabantur, & favorem eorum captaret blandis verbis cum iniquitate. Confirmat hanc expositionem tum ex phrasi, quod non dicatur os osculari manum, sed ma-*

*& argu-  
mentum.*

nus

nus osculari os; tum ex phraeos applicatione, quod assentatores cor, & manum ori suo submittant, ut cor, & manus indulgeant ori, consentiantque in vitium assentationis, assentationesque ipsas quascunque. Sed enim vero, quod pace manium ejus dixerim, ut ut speciosa, minus tamen solida hæc explicatio mihi videtur. Ut reliqua, quæ huic assertioni contrariari videntur, argumenta silentio præteream, vel ipsa textus *συνάφεια*, & immediate in oraculo nostro subsequencia verba argumentum aliquod in contrarium mihi suppeditant: Cum enim Jobus innuit, se, dum hoc ipsum scelus perpetrasset, ut manus os suum osculata fuisset, hoc ipso abnegasse Deum in supernis; atrocis certe crimen illud infert, quam ut assentationi nudæ phrasî hæc *ἐξ ὁσίου* applicari possit. Neque vero phrasî hæc, licet singularis, huic explicationi favet, quin potius pro nostra, quam mox subjungemus, sententiâ eandem militare apparebit. Phraeos autem hujus applicatio allegoricas magis allusiones, quam genuinum sensum literalem nostro iudicio insinuat.

§. IX.

Hinc magis nobis illorum arridet sententiâ, qui ad idololatriam hæc verba referenda esse, consultius ducunt, ut Jobus, se nullum unquam divinum honorem astris, vel clam cogitatione, vel palam adoratione, exhibuisse testetur. Oscula enim, etiam religiosa, idolis olim data esse, verbis omni exceptione majoribus, multoque clarissimis Sacræ literæ asserunt, quod ex evolutione locorum 1 Reg. XIX. 18. Hof. XIII. 2. dispalescit. Osculabantur autem in adoratione manum inprimis il-  
*Nostri  
sententia  
de idolola-  
tria addu-  
citur.*  
*ex antiq̃  
quitate  
declaras  
tur.*  
 lius, quem adorabant, significantes, se ab ejus manibus expectare bonum: Cum vero manum alterius osculari non liceret, suam pro aliena eodem significato osculabantur. Atque hoc osculo, veluti luculento aliquo signo, indicabant, notante ESTIO, se cupere, si possent, luminaria illa osculari: Sed, cum sidera illa contingere, vel e propinquo osculando

adorare, impossibile fuerit, manus è longinquo versus illa pro-  
tenderunt, & mox, quasi luce illorum perfusas, osculati sunt, ita ut palma quæ ad Deum conversa fuerat, reverteretur ad os. Dissentit tamen hic OUZELIUS in notis ad Minutii Felicis *Octavium*, p. 13. qui idololatrias manum prius osculari solitos fuisse, actum demum versus illum, quem adorabant, porrexisse, contra LIPSIUM l. 2. *electorum*. c. 6. p. 466. cum SALMASIO in notis ad Flaviu Popisici *Probum*, p. 441. asserit. Ille nimirum convetus fuit apud idololatrias adorationis ritus, ut, cum sanum aliquod præterirent, manum ori, capite inclinato, admoverent, atque ad osculum referrent, & pavido murmure pacem, & veniam horum luminarium deprecarentur. Sic in Syria morem esse, orientem salutandi solem, docet TACITUS l. 19. *annal.* p. 319. Pari ratione TURNEBIS *adversar.* l. 18. c. 8. & l. 25. c. 1. veteres solitos scribit, in portis urbium aliqua Deorum simulacra statuere, quæ, qui urbes inibant, aut inde exibant, ritu quodam religionis, facta dextra manu salutare, moxque manum ad osculum referre consueverant. Non incongruum erit, elegantia LUCRETII verba huc adducere:

*Tum portas propter, abena*

*Signa manus dextras ostendunt attenuari*

*Sæpe salutantum tactu, præterque moantum.*

Respicit huc MINUTIUS FELIX, in *Octavio*, p. 12. Cecilius, inquit, simulacro Serapidis denotato, ut vulgus superstitiosum solet, manum ori admovens, osculum labiis pressit. Et APULEJUS *apol.* 1. Si sanum aliquod prætereat, nefas habet, adorandi gratia manum labris admovere. Coniicit PLINIUS l. 28. c. 2. In adorando, dextram ad osculum referimus. Nec abludit LUCIANUS in *Demosthenis encomio*: Καὶ τὴν χεῖρα τῷ στόματι προσ-  
αγαγόντες, ἔδεν εἰδὲ ἢ προσκυνεῖν ὑπελάμβανον. h. e. manum ori  
admoventes, non nisi adorare eos existimabant. Et in libro περὶ θυσιαῶν.  
Ὁ δὲ πένης ἠλάσαστο τὸν θεόν, Φιλήσας μόνον τὴν αὐτῆς δεξιάν. h. e.  
Pauper vero placavit Deum, osculans tantum dextram ejus. Nec non  
in libro περὶ ἀρχήσε. Καὶ Ἴνδοι ἐπεὶ εἰδὲ εὐθεὶ ἀναστάντες προσ-  
α-

εὐχονται τὸν ἥλιον, ἃς ἄσπερ ἡμεῖς τὴν χεῖρα κίσαυτες, ἡ γέμε-  
 θα ἐν ἑσπῇ ἡμῶν εἶναι τυτὴν εὐχὴν. h. e. Et Indi, postquam mansurgentes  
 adorant solem, non sicut nos manus osculantes existimamus, perfectum  
 esse nostrum votum. Addunt equidem nonnulli, qui hunc ritum  
 paulo sollicitius evolverunt, totius corporis conversionem, quae  
 apud Romanos dextrorsum, apud Gallos autem sinistrorsum  
 fuerit usitata, & sessionem primoris digiti in pollice, quam ve-  
 ro sententiam nostro comprobare calculo non possumus, quin  
 potius, cum simplicissimum quodque antiquissimum sit, primitus  
 fuisse contentos, simpliciter dextram ori admoveere, sine ista  
 vel corporis conversione, vel primoris digiti in pollice sessio-  
 ne, longe verosimilius esse, cum GER HARDO JOHAN-  
 NE VOSSIO, in libro, de origine, ac progressu idololatriæ, l. 2. p.  
 319. existimamus. Eandem nobiscum circa hoc argumentum fo-  
 vent sententiam HIERONYMUS p. III. Tract. 8. epist. 33. Et Autore  
 l. 6. in Heseam c. 13. nec non apol. 1. adversus Rufinum, &c. qui Hieronymi consentien-  
 tate, teste Editore, Scharo in præfatione, & CAVE Scriptorum res citat.  
 Ecclesiasticorum p. 280. vixit, PHILIPPUS presbyter, in Jobum p. 29. VI-  
 NARIENSES in h. l. GLASSIUS in Philologia Sacra, p. 245.  
 qui & MOLLERUM in Psalm. II. consentientem citat, CA-  
 LOVIUS in Bibliis Germ. ad h. l. LIRA in annotationibus ad h.  
 l. PINEDA in h. l. GORDONUS in comment. ad h. l. p. 578.  
 FESSELIUS in adversariis sacris, l. 3. c. 7. p. 270. MENOCHI-  
 US in comment. ad h. l. p. 232. Et in libro, de Republica Hebraeorum, p. 391.  
 392. KIPPINGIUS in antiquit. Rom. l. 1. c. 9. §. 5. DAVID  
 MARTIN in Bibliis Gall. ad h. l. DN. MELSWICH in dissert.  
 de Melchisedeco, ab Hulsio in gentili mythologia frustra questio, §. 8. EL-  
 MENHORSTIUS in notis ad Minutii Felicis Octavianum, p. 12.  
 AUGUSTINUS STEUCHUS EUGUBINUS in Jo-  
 bum p. 155. DIONYSIUS VOSSIUS in notis, ad Maimonidis  
 tractatum, de idololatria, c. 3. §. 9. p. 46. JURIEU, dans histoire Cri-  
 tique des dogmes & des cultes, p. 546. SCHINDLERUS, in Lexico  
 Pentaglotto, rad. פוּד p. 1178. COCCEJUS in Lexico p. 272. DY-  
 KE im Geheimniß des Selbst Betrugs / p. 242. du HAMEL

in annot. Bibl. ad h. l. GEIERS in comment. in Psal. II. p. 29. 30. CASTALIO, DRUSIUS, & GROTIUS in b. l. OUZELIUS in notis ad Minutii Felicis Octavianum, p. 14. His ex Hebraeorum Magistris se jungit R. ABEN ESRA in b. l. verba illa: מן ממיני עבודה זרה כי ותשק ירי לפי רובי הקדמונים טרם באו הנביאים היו עובדים שני המאורות על כן אמ' גם הויה עין פלילי כי כחשתי לאר ממעל והענין שהיה למעלה  
*b. e. Species o speciebus cultus alieni, nam multi antecessorum, antequam venerunt Prophetae, servierunt duobus luminaribus, ideo dicitur: Etiam haec iniquitas est iudicis, nam abnegassem Deum e supernis, & sensus huius vocis e supernis est de luminaribus.*  
*Umbra huius ritus adhuc hodie demonstratur.* die dominorum suorum dicuntur osculari manus; ut & apud Arabes in Palaestina, qui viatores, a se pecunia multatos, adiungunt, ut osculentur multantium manus, sinistrumque pectoris latus. Ita, qui Principem salutabant, dextram, qua attigerant ejusdem purpuram, saviabantur, teste PANCIROLLO l. 1. verum memor. p. 212. vid. GEIERS in comment. ad Psal. II. p. 30. Histriones quoque pantomimos, dextra labris admota, populum adorare solitos, ut & aurigas, loco dextrae, flagellum dextra comprehensum, osculatos, atque hoc modo praetereuntes veneratos fuisse, docet OUZELIUS in notis, ad Minutii Felicis Octavianum, p. 14.

§. X.

*Probat* Ne vero nuda interpretum auctoritate, quam admo-  
*sententia* dum imbecille suppeditare argumentum, non disiteor, no-  
*nostra (i)a* stram fulcire sententiam videamur, argumenta nonnulla in  
*ovvaQsiaz* medium proferemus, iisdemque assertioni nostrae robur ali-  
*textus.* quod addemus. Et primum quidem ex ipsa textus ovvaQsiaz fir-  
 misimum, atque invictum mihi enascitur argumentum. Ne-  
 que vero quenquam hic contraria subscripturum sententia cre-  
 dide-



diderim, eam namque, quæ antecedentibus, & consequentibus accuratius respondet, sententiam, præ ceteris eligendam esse, omnes Exegetæ suadent. Quod si itaque & nostro in oraculo penitiori eadem consideratione perlustrabimus, pro nostra illa militare sententia, in aprico erit. Quod immediate antecedentem versiculum concernit, negat ibidem Jobus, se aspexisse lucem, cum splenderet. Respicit his verbis procul dubio ad Deut. IV. 19. quo in loco severissimum Divini Numinis mandatum occurrit, ne Israëlitaꝝ oculos suos versus cœlum tollant, solem, aut lunam, aut stellas aspiciant, atque colant. A summo hoc idololatriæ gradu, dum immunem se reddere Jobus allaborat, conjungit versum 26. cum 27. & vel minimam quoque idololatriæ speciem a se amovet, quod ex præfixa particula ꝑ per pronam consequentiam elicitur, licet enim ꝑ istud conversivum esse, nemo non fateatur, hoc ipso tamen copulandi usum non amittit. Nec consequentia in subsequente commate verba nostram deserunt sententiam, quin potius fortiter eandem confirmant. Testatur enim Jobus ꝑ se, si atroci hocce peccato suam contaminasset animam, hoc ipso Deum abnegasse supremum, quæ omnia clarissima, & vel manibus palpanda manifesta idololatriæ documenta esse, a nemine, vel leviter verba ista considerante, negari posse crediderim. Dum igitur tantum in antecedentibus, & consequentibus deprehenditur præsidium, ipsa sane necessitate adigimur, ut & illa, quæ nostro in oraculo continentur, verba, de cultu, & osculo idololatriæ, juxta ritum, antea a nobis descriptum, interpretemur.

§. XI.

Ad alterum cum jam deveniendum est argumentum, (2) a nativæ verborum significationem non immerito provocamus. Ad hanc enim utroque respiciendum est oculo, si quis felices, atque exoptatos in exegeſi sacra facere progressus intendat; hanc etiam omnibus tropicis, & allegoricis verborum allusionibus antefere-

ren-

rendam judico. Quod igitur osculum concernit, signum illud antiquitus fuisse amoris, obsequii, & adorationis, ex Gen. XLl. 40. 1 Reg. XIX. 18. Psalm. II. 12. abunde constare arbitror. Ex quo judicio nostro relinquitur, grave subesse fundamentum, ut & h. l. suetam illam denominandi rationem amplectamur, & per adorationem osculum illud interpretemur. Nec ullam perspicere possum causam, cur voces illas *manus*, atque *oris tropice*, & figurate accipiendas esse, mihi persuadeam. Omnia enim prone, concinne atque accurate fluunt, nec ulla reperiri poterit difficultas, quæ ab amplectendo naturali & literali vocum significato nos absterre possit, hinc nativam verborum significationem sequi, satius esse existimamus.

§. XII.

*Consensus  
Symmachi  
addu-  
citur.*

Perspexit nostræ sententiæ veritatem, atque argumenti robur cognovit SYMMACHUS, qui, sensum hujus oraculi secutus, Hebræum verbum פֶּשַׁל per Græcum προσκυνεῖν apte & idonee transtulit. Quamvis enim exiguam Græcæ versioni tribuendam esse auctoritatem, facile agnoscam, non tamen omnino nulla est, quin potius in nonnullis locis elegantem Hebræi textus ἐπισημῶν nobis subministrat. Neq; in sola SYMMACHI auctoritate nostram inniti interpretationem quis credat, sed potius hoc argumentum cum duobus præcedentibus conjunctum stringere mihi videtur. Quandoquidem enim antecedentia, & consequentia hoc in oraculo verba nostram corroborant sententiam, & præterea literalis verborum significatus sensum a nobis erutum quodammodo imperat; imo SYMMACHUS in versione sua Græca, ritum ex Hebræis supra a nobis demonstratum, eleganter confirmat; non de nihilo esse existimaverim, si quis h. l. ad SYMMACHI auctoritatem provocare velit. Ex dictis enim constat, non contrariari versionem illam nostro in oraculo Scripturæ, verum dextre eandem explicare, & obscure alioquin proposita clarius proponere.

§. XIII.

## §. XIII.

Non tamen omni videntur destitui ratione, qui ad idololatriam solis ac lunæ cultum hoc comma non referunt, sed eam potius tueri allaborant sententiam, non cogitasse Jobum, se, quicquid haberet divitiarum, a sua habuisse solertia, & manu, ut divitias, atque potentiam suam, non summæ Divini Numinis benignitati; sed dextræ suæ, quæ res magnas esset constanter aggressa, & easdem obtinuisset feliciter, tribuendam existimaverit. Obvertunt enim, ut colorem huic sententiæ concilient, (1) nullum hic esse sermonem de cultu idololatriæ, & adoratione solis, quia, cum suas narraret Jobus virtutes eximias, non videbatur idololatriæ odium positurus: Quid enim tantum est, impietatem illam exhorruisse, quam etiam illi, qui profligatissimis essent moribus, & omnium vitiis turpitudine contaminati, averfarentur? Sed enim vero merito in hoc argumento desideratur connexio. Nonne enim idololatriæ odium vel primum inter virtutes locum jure quodam obtineat? Quid igitur obstat, quo minus Jobus, virtutum suarum catalogum necens, ab omni idololatriæ suspitione, quam tum temporis admodum regnasse, in confesso est, liberum se pronunciare queat? Nec quicquam sententiæ nostræ officit, quod etiam illi, qui profligatissimis essent moribus, idololatriam averfari soleant. Ut enim silentio præteream, permultos improborum hominum idololatriæ crimen haud raro incurrere; id saltem monuisse sufficiat, quod illi etiam, qui improbitate plurimos antecellunt, nonnunquam virtutum quarundam, e. g. mansuetudinis, lenitatis, castitatis, &c. speciem præ se ferant. Quem admodum igitur summæ laudis est, omnes sectari virtutes, licet quandoque impii unam, vel alteram affectent; ita pariter in Jobo reprehendi nequit, quod idololatriæ vitium a se amoveat, licet impii eidem virtuti studeant, nam & in hoste, atque improbo laudanda virtus est. Opponunt (2) contra sententiam nostram, nullam subesse causam, cur Jobus hanc idololatriæ suspitionem tanto studio a se depelleret, cum illa non fuerit

*Objeccio 1.**refutatur.**Objeccio 2.*

C

ab

ab amicis objecta, & reliqua, quæ de se prædicavit, aperte confitent, quæ ab insultantibus amicis in maledictis audierat.

*refellitur.* Maximam sane hoc argumentum inenitit speciem, sed videbitur, quid habeat in recessu, facile enim hoc ipsum corrueat fundamentum, dummodo singula recte observentur. In eo namque jam erat Jobus, ut ad Bildadi Suicentis objectiones responderet, qui generatim omnes homines coram Deo peccatores esse asseruerat: Cum igitur se integrum vitæ, scelerisque purum demonstrare vellet, necessario idololatriam, ut pote tum temporis admodum usitatam, a se amovere debuit. Hinc a scopo alienum est, quod obvertitur, Jobum ad ea tantummodo respondere capita, quæ singulariter ipsi fuerant objecta. Istam enim instantiam vel prima hujus capituli inspectio refellet, ubi in commate primo ab adulterii crimine se liberare allaborat, neque vero unquam adulterium ab amicis ejus ipsi objectum fuisse memini. Ex quo relinquitur, a renoso hanc objectionem inniti fundamento, nostramque sententiam firmo adhuc consistere talo. (3) Obverti nobis scilicet, osculum nimis esse familiare, ut ad adorandi ritum, qui reverentiam involvit, applicari non possit. Sed tantum abest, ut hanc nostram faciamus sententiam, ut Scripturæ potius auctoritati, & canæ antiquitati tutius nos in hære posse credamus. Vereres certe Romani usque adeo fuere religiosi, ut cuiquam temere osculum dare, nefas existimarent, ne sponso quidem, nisi semel tantum liceret, confirmandorum sponsaliorum causa, teste HOFMANNO in *Lexico universali T. III. p. 489.* Et, si Sacrum evolvamus Codicem, dilucida, omnique exceptione majora asserti nostri deprehendimus vestigia, osculum summæ, ac divinæ venerationis notam fuisse, conf. 1 Reg. XIX, 18 Hof. XIII, 2. Sane, quando Samuel Saulem osculari, 1 Sam. X, 1, legitur, hoc ipso non familiare quid indicat, sed Dominum eum nunc suum esse testificatur. Geminum huic in Novo Foedere reperimus exemplum in proditore Juda, qui osculo

osculo Christum, licet proditorie, excipiebat, Luc. XXII, 47. Sicut enim proditores quam optime signis externis aliorum captare benevolentiam norunt, ita & Judas omnes eo dirigebat cogitationes, ut eadem ratione Servatori optimo imponere ipsi liceret: Hinc commodam te nactum fuisse occasionem, sibi persuadebat, si osculo, tanquam consueto reverentia, honoris, & adorationis signo, suam Christo comprobare obedientiam annitteretur, vid. GUSSETIUS in comment. lingua Ebraea, p. 542.

§. XIV.

Uterius nostram confirmat sententiam locus Ps. II, 12. *Locus Ps. quo in loco hæc verba נשקך בך leguntur.* Nostri jam non *Il. 12. explanantur.* fert ratio instituti, ut diversas circa vocem בך interpretationes hic tangamus, cum eo saltem sine hic locus a nobis adducatur, ut nostram de osculo sententiam, antea a nobis adductam, stabiliamus. Literam prescit AQUILA, dum Hebræum verbum נשקך simpliciter per *καταφιλήσας* vertit; sed ad sensum magis, quam vocem respexit SYMMACHUS, dum hanc vocem iterum elegantissime per *προσκυνίσας* expresst. Nimirum adorationem h. l. intelligendam esse, in propatulo est; de Filio enim Dei sermo est, quem cultu adorationis exosculari, ne ira ejus exardescat, decet. Ita ergo Psalmographus, idolatrarum corrigens vanitatem, sacrum hoc subjectionis, religiosique cultus symbolum, non alii, quam vero DEO, Messia, deferendum esse, indicare voluit, notante HOFMANNO in *Lexico Universali*; T. III p. 499. Respicit huc HIERONYMUS, cujus verba apud OUZELIUM in notis ad *Minutii Felicis Octavianum*, p. 13. addere in præsentem liceat: *Pro eo, inquit, quod juxta Symmachum, Theodotionem, vertimus: Adorantes, Aquila interpretatus est καταφιλήσας i. e. deosculantes: Qui enim adorant, solent deosculari manus suam, quod Job fecisse se negat.*

§. XV.


Curiose hac occasione a nonnullis de origine verbi Latini,

*origo verbi Latini adorans in vestigare*

tini, adorare, disquiri solet. Non est hujus loci, varias variorum recensere opiniones, quas suo loco relinquimus, de ea tantum sententia solliciti, numne ab admotione manus, orifaceta, suam hoc verbum originem trahere queat. HERALDUS in notis ad Minutii Felicis Octavianum, p. 13. falli eos, qui huic subscribunt sententiæ, existimat. WOWERUS contra in notis ad Minutii Felicis Octavianum, p. 12. una cum JURIEU dans *histoire Critique des dogmes, & des cultes*, p. 546. & HOFMANNO in *Lexico Universali*, T. III. p. 490. adorandi verbum hinc derivant. His & nos nostrum adjicere calculum, nulli dubitamus. Vix namque commodiorem, aptioremque verbi hujus derivationem reperire licebit, siquidem hæc etymologia, & derivandi ratio ipsam verbi naturam, & obviam semper significationem apprime insinuat: Adorare enim nihil aliud est, quam ad os referre, i. e. osculari. Quicquid autem hujus rei sit, nostra parum interest, nec morose repugnabimus, sive quis hanc, sive aliam derivandi rationem probabilior esse existimet, probe scientes, nil certi, atque apodictici in hisce asseri posse, sed omnia in majore, quam quis in medium proferre poterit, probabilitate unice inniti.

## ERRATA

- p. 6. lin. 1. pro  $\chi\sigma\iota\epsilon\ \mu\theta$  leg.  $\chi\sigma\iota\phi\ \mu\theta$ .  
 p. 9. lin. 14. pro *elucio dato leg. elucidatio.*  
 p. 12. lin. 17. pro *facta leg. facta.*  
 p. 13. lin. 2. pro  $\tau\upsilon\eta\upsilon$  leg.  $\tau\eta\upsilon$ .  
 Cetera. B. L. ipse corriget.



Corol.

## COROLLARIA PHILOLOGICA.

### I.

Nomen *Mosis* a radice Hebræa מוש originem suam traxisse, ex Exod. II, 10. abunde liquet, neque obstat, sive quis cum PFEIFFERO nomen hoc a Matre, sive cum aliis a filia Pharaonis inditum ipsi esse existimet.

### II.

Non ergo assurgimus illis, qui nomen hoc ab Ægyptiacis vocibus *Mo, aqua, & Yses, servatus* derivare non dubitant.

### III.

Neque contemnendam illorum conjecturam existimamus, qui Mosén in participio præsentis מוש vocatum esse asserunt, quia non solum extractus fuit ex aquis, sed & ipsemet deinceps vocatus, qui populum Israelis ex servitute Ægyptiaca extraheret. Conf. GLASSIUS in *Philologia Sacra*, p. 1295.

### IV.

Neque temere admittendam censemus GR O-

TII conjecturam, nomina peregrina, adeoque & Mosis nomen, Ægyptiaca voce prolatum, Hebraico sermone à Mose esse expressa, Ebræorum gratia, in eundem significatum, quem in primæva lingua obtinuerant.

V.

In Libro Jobi non veram narrari historiam, sed plurima, ut in comœdiis mos est, ficta & veræ historiæ assuta esse, minime largimur.

VI.

Lutheri ergo sententiam nostram facimus, qui librum Jobi veram esse historiam, atque in rei veritate, & ipso facto hæc ita contigisse asserit.

VII.

Neque nobis adversatur, quod Lutherus librum Jobi, velut fabulæ argumentum, ad proponendum exemplum patientiæ, appellasse perhibetur. Posito enim, hæc ita se habere, elegantia HIERONYMI verba totam decident



dent controversiam: *Veteres interdum nomine fabularum non res fictas, sed veras narrationes appellant, quomodo Luca ult. dicitur: Et factum est, dum fabularentur. Minutius Felix initio dialogi, quem Octavianum inscripsit, fabulam vocat veram quandam narrationem nescio cuius navigationis, Conf. GERHARDUS in exegesi, Loco de Scriptura Sacra, §. 133. p. m. 31.*

IIIX.


Nulla est contradictio locorum Gen. XLVII. 31. & Hebr. XI. 21. quando in priori Jacobus se inclinasse dicitur in lecto; in posteriori vero versus sceptrum, seu baculum Josephi. Diversæ enim sæpe circumstantiæ in diversis Scripturæ locis revelantur, adeoque & h. l. in Genesi revelatur circumstantia *loci*; ast in epistola ad Hebræos circumstantia *termini ad quem.*


IX.

ⲓⲱⲱⲱ seu salvatores Obad. vers. ult. optime iudicio nostro per Apostolos & Ministros Ecclesiasticos explicantur. Licet enim *Κυριανός*, & primario unicus tantum sit Salvator, Christus;

stus; recte tamen idem nomen *ἀγγωνιάς*, & *δια-  
κονιάς* de Apostolis pronuntiatur, utpote qui  
& ipsi sunt administri salutis per Evangelium,  
1. Tim. IV, 16. Jac. V, 20. Jud. v. 23. 1. Cor. IX, 22,  
X.

Aves ex terra, non ex aqua productas esse, verbis  
omni exceptione majoribus, ex Gen. II, 19. de-  
monstratur, quo in loco, cum stylus histori-  
cus, & simplex obtineat, nulla admittenda el-  
lipsis mihi videtur. Nec ullum conspicitur pa-  
trocinium in loco, Gen. I, 20. Coniunguntur  
enim ibidem pisces, & aves per Vau, non ob  
identitatem principii materialis, sed ob eun-  
dem, seu communem diem productionis, ut  
cum PFEIFFERO loquar *in dubiis vexatis*,  
p. 12. Ut taceam, per accentum Atnach mani-  
festam styli diversitatem innui, & *אָו* non  
esse objectum verbi præcedentis, sed subje-  
ctum prædicati sequentis.







AB 153000 (1)

ULB Halle  
003 948 544

3




56.

R

VD 17







45

56

בנה  
*DISSERTATIO PHILOLOGICA*  
DE  
ושיקה יד לפה  
h. e.  
**OSCULO MANUS ORI  
DATO,**

*Occasione Jobi XXXI, 27.*

QVAM  
**IN ALMA PHILYREA**  
**CONSENSU INCLYTI SAPIENTUM**  
**ORDINIS**  
*PUBLICÆ ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBJICIENT.*  
**PRÆSES**  
**M. GERHARDUS HERMANNUS**  
**MENCKE,**  
**OLDENBURGENSIS,**

ET  
*RESPONDENS*  
**JOHANNES HENRICUS Herbst/**  
*Ottervvischenf. Mifn.*  
*ad d. XIX. Sept. A. R. S. MDCCXI.*

**LIPSIÆ,**  
**LITERIS BRANDENBURGERIANIS.**